DVBIA ORTA EX NOVA DELEGATIONE VICARII GENERALIS in Oppido Montisoni, iuxta præscriptum in Bullis Apostolicis gratiæ Episcopatus Ilerden. & facultatuum prçlibati Vicarij.

PRÆSVPPOSITA clausula cōtenta in Bullis Apostolicis gratiæ Episcopatus Ilerden. factæ per sanctissimū Dominum Vrbanum Diuina prouidentia Papam VIII. in fauorem Reuerendissimi Dñi D. Bernardi Caualle-ro de Paredes, sub dat. Romæ, anno Incarnationis Dominicæ 1635. idibus Augusti, thenoris sequentis. *Volumus autem, quod deleges Vicarium Generalem, qui in Oppido de Monçon residere debeat, & ibi vti à te subordinatus, iurisdictionem in Diœcesanos locorum in Aragonum Regnum consistētium, iuxta facultates à nobis præscribendas exerceat.*

2 Præsuppōsita alia etiam clausula contenta in Bullis Apostolicis præscribentibus, memoratas facultates prælibati Vicarij in Oppido de Mōçō delegati, ab eodem sanctissimo Domino nostro Papa Vrbano VIII. Romæ expeditis, die 26. mensis Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini 1636. quæ ita habet. *Qui quidem Vicarius, tanquam eidem Episcopo subordinatus, causas Ciuiles, & Criminales, inter personas locorum dictæ Ecclesiæ in præfato Regno existentium, pro tempore motas, pendentes, & instructas, audiat, & cognoscat: non possit tamen dictus Vicarius, vt prædicitur pro tempore deputatus, congregare Synodum, nec facere concursum, & consequenter se ingerere in Parrochialium Ecclesiarum concursu, & approbatione oppositorum, nec quo ad ea, quæ in Vicario licet generali requirunt speciale mandatum, &c.*

3 Duo dubia orta sunt, primum est, quæ ea sint, quæ in Vicario licet generali, requirunt speciale mandatum. Secundum verò, in eo consistit an ex delegatione, seu constitutione huiusmodi Vicarij in dicto Oppido de Mōçon,

çon,cessare debeant alij Officiales, seu Vicarij foranei, qui in diuersis Oppidis dicti Aragonum Regni,pro faciliori negotiorum expeditione,ab antiquo erant cum limitata iurisdictione,videlicet cognoscēdi vsque ad summam quinquaginta solidorum monetæ Iaccen. constituti.

Primum dubium principale.

4 AD primum igitur accedentes, ortū ex eo quòd incolæ præfati Oppidi de Monçon non obstante illa clara verba clausulæ vltimo loco positæ:*Nec quo ad ea,quæ in Vicario licet generali requirūt speciale mandatum,* Tenaciter contendant compellere dictum Vicarium ad exercendam,ibi indistinctè, & omni in casu,iurisdictionem non solum cōtentiosam,sed etiā voluntariam,& gratiosam,cum ad id iuris firmis à Iustitia Regni Aragonum obtentis,& comminationibus , occupationum temporalitatum,cogendo : cui in commodo occurri aliter non potest,nisi sanctiss. Dominus noster dignetur specialiter , & nominatim declarare, qui sint huiusmodi casus,qui à Vicario licet generali, sine speciali commissione nequeunt exerceri, quæ dum huiusmodi declaratio desideratur breuiter à nobis in hoc discursu recensentur.

5 Et quia non omnes casus,in quibus Vicarius licet generalis procedere non potest,sine speciali commissione,& mandato,sunt liquidi,ideo breuiter recensemus,qui huiusmodi casus sint , separando casus in quibus sine controuersia,Vicarius generalis absq; speciali mandato,procedere nō potest,ab his in quibus controuersia est inter Doctores, an ex generali commissione,siuè à iure,sine speciali mandato,potest procedere.

Casus quos sine controuersia exercere non potest Vicarius generalis, absque speciali mandato.

6 CAsus autem in quibus Vicarius,sine controuersia procedere nō potest,absque speciali commissione,sunt sequentes.Vicarius nō potest beneficia conferre, nisi ad hoc speciale mandatum obtineat.Nec potest Beneficiū supprimere.Nec beneficia vnire. Nec reuocare vniones.Nec Ecclesiā diuidere. Nec potest coadiutores Vicarios imperitis Rectoribus Ecclesiarū deputare.Nec potest ius patronatus ex causa dotationis,fundationis,vel cōstructionis alicui reseruare.Nec potest dotationi iuris patronatus decretum,seu authoritatem interponere;nec potest nouas Parrochiales erigere. Nec pensionem ,super Beneficijs imponere vbi Episcopus potest.Nec Econcmū Ecclesiæ instituere.Nec potest à suis Beneficijs Officijs,vel administratotionibus,aut ab ordine aliquos amouere. Nec valet authoritatem interponere creationi dignitatis factę, aut nouum

Beneficium

Beneficium in Ecclesia creare. Nec præsentare potest, ad Beneficium iuris patronatus, ad Episcopi presentationem pertinens. Nec Ecclesias vetustate colapsas, in matrices, vel aliás Ecclesias viciniores transferre. Nec potest facultatẽ exercẽdi ea quæ sunt ordinis Episcopalis alteri Episcopo concedere, & si Vicarius, Episcopus fuerit, ea cõferre. Nec de hæresis crimine cognoscere. Nec publice pœnitentes recõciliare. Nec volũtatem puellæ habitum regularem suscipere, aut professionis votum emittere volentis, explorare. Nec edificationi Monasterij per testatorem relicti à sensum, & authoritatẽ interponere. Nec Indulgencias concedere Nec relaxare iuramenta. Nec alium Vicarium substituere, nisi ad modicum tempus, & ex causa, seu ad vnam, vel plures causas. Nec potest Diœcesim visitare. Nec Synodum cõgregare. Nec pias defunctorum voluntates exequi. Nec in alienationibus, seu transactionibus rerũ Ecclesiasticarũ decretum interponere. Nec de causa restitutionis in integrum disceptare. Nec ei deferri potest iuramẽtum purgationis Canonicæ. Nequit consentire, vt Metropolitanus cognoscat in principali negotio omisso appellationis articulo. Nec potest cognoscere specialiter cõmissa, seu delegata Episcopo. Nec feudales causas cognoscere potest. Nec auctorare exemplum ex originali sumptum. Nec repressalia concedere potest. Nec Clericorum bona confiscare. Nec pœnas corporales, in pecuniarias cõuertere. Nec dispẽsare. Nec potest imponere, & exigere caritatiuũ Subsidium. Nec potest relaxare interdicta. Nec dimissorias litteras Clericis dare, vt ab alio Episcopo ordinentur. Nec potest in irregularitate, vel suspensione aliqua, ex delicto occulto prouenientе, & in quibuscumq; casibus occultis, & Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus dispensatio, vel absolutio Episcopo est permissa, ipse Vicarius dispẽsare, vel absoluere. Nec à casibus reseruatis ab Episcopo absoluere potest. Ac tandem absq; speciali mandato, non potest, quę sunt meræ gratiæ, & hi sunt casus, qui sine controuersia exerceri nequeunt, à Vicario quantumuis generali, sine speciali delegatione, quos referunt: Sbrotius in suo peculiari tractatu de offi. Vicarij. August. Barb. de offi. & post. Episcop. *p. 3. alleg. 54. à num. 60. Garc. de Benefi. part. 5. cap. 8. per totum.* & alij per multi, quos ipsi referunt.

Casus in quibus controuersum est an possint exerceri à Vicario generali absque speciali mandato.

7 SVnt præterea aliqui casus: qui apud DD. in difficili manẽt, an exerceri queant à Vicario generali, absque speciali commisione, quorum primus est: an ei liceat sine mandato speciali admittere præsentationes, & præsentatos instituere; & id non posse, probari videtur, *ex tex. in cap. licet de offi. Vicarij lib. 6.* vbi in distinctè Vicario generali prohibetur,

tur, beneficia conferre, sic hunc textum generaliter intelligentes, Cardinalis in Clementina 2. q. 8. *de iure patronatus. Imola ibidem circa finem vers. Sed quid si Clericus. Rochus de iure patronatus, in verbo competens, Rolandus consil. 47. num. 45. vol. 1. Rebuff. in praxi beneficiali, in forma Vicariatus, à num. 126. & in additione ad regulam. 13. Cancellariæ verbo: Aut Vicarius perpetuus. vers. Itē Vicarius generalis Zechus de republica Ecclesiast. cap. 23. de Vicario Episcopi §. 2. numer. 4. vers. 13. & alij per multi.*

8 Et licet non desint qui contrarium teneant, affirmantes Vicarium generalem ex vi generalis Vicariatus commissionē absque speciali mandato, posse has præsentationes admittere, ac præsentatos instituere: Quid quid tamen in puncto iuris de hac re sit, in casu dicti Vicarij Montisoni, primam, & negatiuam sententiam, necessario videtur esse sequendam.

9 Quia præfato Vicario Montisoni, solum videtur concessa facultas, audiendi, & cognoscendi causas Ciuiles & Criminales, cum limitationibus cōtentis in supradictis bullis facultatū, ibi: *Causas Ciuiles & Criminales, &c.* Et apellatione causarum Ciuilium, & Criminalium, beneficiales causæ non veniunt, vt pote quia aliam speciem constituunt, á Ciuilibus, & Criminalibus distinctam *Lapus allegat. 70. Papar in additione ad decisionem 27. de procuratoribus, in nouis vers. Qui dicit Puteus decis. 247. aliás 241. lib. 2. in correctis,* ibi tamen fuit dictum, quod si erat procurator constitutus ad causas Criminales, & Ciuiles, non censebatur ad causas beneficiales, secundum Francum *in cap. qui ad agendum §. procurator colum. 3. vers. tertio. An in beneficialibus de procuratoribus, lib. 6.* & in terminis cuiusdam similis breuis à Iulio 3. Portugalliæ Regibus concessi. Dat. Romæ, sub annullo Piscatoris, die 21. Iulij 1554. Pontificatus sanctissimi anno 5. id latissimè docet, *August. Barbosa in tractatu de iure Ecclesiastico vniuerso lib. 1. cap. 39. §. 3. nu. 110. & in praxi exigendi pensiones, quæst. 6. num. 45.*

10 Quibus accedit, quod si in præsenti casu concederetur prælibato Vicario Montisoni huiusmodi facultas admittendi præsentationes, & instituēdi presentatos, sequeretur maximum inconueniens, videlicet, quod ibi non possent patroni iustificare suos patronatus: tum quia in dicto Oppido Mōtisoni non sunt aduocati periti: per quos possint materię beneficiales, subtiles, & admodum intrincatæ tractari: Cum etiam quia cum huiusmodi causæ beneficiales, totius Episcopatus, à primordijs Ecclesiæ Ilerd. vsq; ad præsens tractatæ sint, in Curia existente in dicta Ciuitate in eius archiuo recōdita sunt omnia documenta, & processus, quibus iura patronatus iustificātur, & non sine magno incommodo ad dictum Oppidum Montisoni remitti possunt, nam si authentica transumpta ibi remittantur, ea admittere nequeunt dicentes, secundum foros Regni Aragonum, transumptas scripturas nullā fidem facere. Si verò originalia transmittātur nullo modo permittunt, iterum ad hanc Curiam negotio finito reduci, impediendo dictam

reductio

reductionem, inuentarijs, apprehensionibus, & alijs iuris remedijs peculiaribus, dicti Aragonum Regni. Quod vertitur in magnum Curiæ Ilerden. præiuditium, & adeo egre ferunt incolæ Ciuitatis Ilerdæ, quod timeri probabiliter posit, aliquod graue scandalum ex eo fore secuturum.

11 Secundus casus controuersus apud DD. est: an Vicarius generalis, sine speciali mandato posit Sacramentales fidelium confessiones audire, & facultatem, ac licentiam audiendi huiusmodi confessiones, & prædicandi, alijs concedere. Et negatiuam partem tenent Hostiensis in summa *tit. de pœniten. §. cui confitendum Ioannes Andreas in cap. 2. de pœnitēt. lib. 6. vbi Dominicus num. 6. Ancharra. nu. 1. Philipp. Francus. num. 7. Sotus in 4. distin. 18. q. 4. & quæst. 14. num. 3. Albericus in dictionario. verbo Vicarius vers. Vicarius etiam Episcopi. Rebuff. in praxi beneficiali, in forma Vicariatus num. 46. & 171. Frater Alexander in summa 1. par. cap. 3. de potestate Confessoris num. 14. Sbrozius de offic. Vicarij lib. 2. quæst. 13. num. 2. & q. 14. num. 3.* Quorum sententia comprobari videtur: tum ex eo, quòd Vicarius generalis ex officio tantum habet cōtentiosam iurisdictionem, in causis Ciuilibus, & non in Criminalibus, *vt constat ex cap. licet de offi. Vicarij lib. 6.* Cum etiam quia Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 15. de reformatione expresse disposuit, quod nullus posit audire confessiones, & prædicare, nisi approbatus ab Episcopo, ergo eius Vicarius non poterit has approbationes facere, & licencias alijs dare, nec confessiones audire, sine speciali mandato.

12 Et quāuis non desint qui contrariā teneant, affirmantes posse Vicarium generalem ex vi generalis commissionis absq; speciali delegatione, per se confessiones audire, & prædicare, & facultatē seú licentiā alijs concedere audiendi confessiones, & verbum Dei exponendi. Hoc procedere non posse in dicto Vicario Montisoni, probatur ex multis.

13 Primó quia ratio ob quàm aliqui DD. tenent, posse Vicariū generalē absq; speciali mādato, audire sacramētales cōfessiones, ac prædicare, & alijs hanc facultatem, seu licentiam concedere, ea est, quia cum constituat vnum tribunal cum Episcopo, eiusq; personam representet. *cap. 2. de consuetiudine in 6. c. Rom. de appelation. lib. 6. appellatione ordinarij*, seu Episcopi, etiā venire censetur eius Vicarius generalis, ac propterea approbatus à Vicario generali Episcopi, censetur approbatus ab ipso Episcopo, vt inquit Sanchez de Matrimonio *lib. 3. disp. 29. num. 15. & 16.*

14 Quæ ratio solum videtur militare posse, in Vicario generali principali, qui verè, & proprie est Vicarius generalis, videlicet in eo, qui gerit vices ordinarij, & consistit in eodem loco, & tribunali, in quo consueuit ipse ordinarius, seu Episcopus, ius dicere, *vt ex Bart. in l. 1. §. eodem. ff. qui & à quo appelletur id comprobant. Maranta de ordine iuditio. p. 4. dist. 5. nu. 8. Cuchus lib. 2. inst. mora. tit. 18. num. 131. Rebuff. in praxi beneficiali tit. de Vicario Episcopi q. 28. num. 8. Sanchez de Matrim. dict. lib. 3. disp. 29. nu. 11. August. Barbos. de offi-*

 & po-

& potestate Episcopi p.3.allegat.54.nu.127.& alij quam plurimi.

15 Non autem procedere potest in dicto Vicario Montisoni: qui cum nō gerat vices Ordinarij, seu Episcopi, in eodem loco, & Tribunali in quo consueuit ipse Ordinarius, seu Episcopus ius dicere, licet sit constitutus in certa Diœcesis parte ad vniuersitatem causarum Ciuilium, & Criminaliū, vere, & propriè dici non potest Iudex ordinarius, & Vicarius generalis, quamuis sic vocetur, sed potius Officialis foraneus, & delegatus ad vniuersitatem causarum, Ciuilium, & Criminalium, ac propterea non dicetur vnū Tribunal efficere cum Episcopo, eiusque personam repraesentare, nec appellatione Ordinarij, & Episcopi venire, vt in proprijs terminis id tenent *Bart. vbi supra Cardinal. in clement. 2. de rescrip. q. 24. Abbas in cap. relatum 8. de offi. delegati. Alexan. de neuo cap. dilecti, el 3. num. 28. de appel. Felin. cap. sup. quaestio. §. si vero num. 17. de offi. deleg. Rebuff. in praxi beneficiali tit. de Vicario Episcop. nu. 6. Sbroz. de Vicario Episcop. q. 22. nu. 7. & exactè Sanchez dict. disp. 29. num. 10. & Barbosa. dict. allegat. 54. num. 18.* Vnde cum huiusmodi Vicarius Montisoni, licet generalis appelletur, proprie generalis non sit, sed potius foraneus. Nec dici potest Ordinarius, sed delegatus. Nec efficiat vnū Tribunal cum Episcopo. Nec eius personam repraesentet iuxta praedicta: Consequens est eius facultatem cognoscendi causas Ciuiles, & Criminales in dicta Bulla facultatū eidem concessam, extendi non posse ad spiritualia, cū in eo eessent rationes huius extensionis, consideratae à Doctoribus tenentibus: Vicarium generalem principalem posse sine speciali delegatione audire Sacramentales confessiones, & Verbum Dei praedicare, ac alijs huiusmodi facultatem concedere.

16 Secundo, quia supradicta Bulla Apostolica facultatum, tantum loquitur de iurisdictione contentiosa, causarum Ciuilium, & Criminalium, ad quam postulandam, iuxta leges Ciuiles Regni Aragonum, illius incolae in alienas prouincias extrahi nequeant, vt ipsi asserunt, falso praesupponentes, quod leges illas regias, & seculares, euincere possint Ecclesiasticos, ac Tribunalia Ecclesiae, vt ex procemialibus verbis dictae bullae facultatum constat, ibi. *Extra quod iuxta leges eiusdem Regni, illius incolae in alias Prouincias ad litigandum trahi non possunt.* Vbi est notandum verbum illud: *ad litigandū,* quòd solum importat iurisdictionem contentiosam, & non voluntariam, & gratiosam. Litis enim appellatione, solum venit controuersia iuditialis, lege causas, vel lites, *C. de transactionibus Correus cons. 267. in hac cōsultatione numer. 18. vers. & licet appellatione lib. 4. quem refert Cardinalis Tusc. practicarum conclusionum tom. 5. lit. L, concl. 379. num. 1. & 4. per tex. in l. litis nomen ff. de verbor. signif. & Abbas cons. 43. videtur num. 1. lib. 1.* Ergo totus thenor huiusmodi bulle, intelligi debet de iurisdictione ista contensiosa, & non de voluntaria, & gratiosa, vt sunt facultates audiendi confessiones, & verbum Dei praedicandi, ac licentiam alteris dandi huiusmodi faciendi, & id genus alia

nam

nam hæc spiritualia non continentur in contentiosis, cũ in his nulla detur lis, seu cõtrouersia iudicialis, vt deducitur ex Hostiense *in Summa tit. de pœniten.§.cui confitendum Abbat.in clement.1.de priuilegijs num.11.Beroi.cons.22.num.11.vol.1.Frat.Alexan.in summa 1.p.cap.3. de potestate confess. num.14.& Sbrozius de offic.Vicarij q.14.num.3.*

17 Supradicta conclusio ex eo manifestè apparet, quia verba prœmialia ostendunt, & declarant mentẽ concedentis, ad notata *in l.item quia §.fin.ff. de pactis. l.cum hi in prin.ff.de transact.Mascard.de probat.concl.1284.nu.6.Gutierrez practicarum lib.1.q.89.à num.3.* nam nihil aliud est vnde magis voluntas concedentis declaretur: quam à præfatione *l. cũ hi in princ. & ibi Bart. & Iass.ff.de transact.Crauet.cons.221.num.8.vers.septimo verò*, cum enim præfatio inducat causam finalem, *l.fi.ff.de hæred.instituendis, docet Rom.cons.180.n.6.* Manifestum est, ita apperire mentem concedentis, vt illa à præfatione tãquam à sua causa finali reguletur, limitetur, aut extendatur, *l. cum pater.§ dulcissimis, ff. de legat.3.l.si de cætero, vbi Bart.C.de transact.cum similibus.* ergo tota illa bulla erit intelligenda de hac iurisdictione contentiosa, & non de voluntaria, & gratiosa.

18 Quibus accedit, quod si huiusmodi Vicarius Montisoni posset has licentias, & facultates prædicandi, & audiendi confessiones cõcedere, sequeretur maximum absurdum, & perturbatio in tota Ilerden. Diœcesi, vt iam experientia comprobatum est. Nam cum á Reuerendissimo Dño Episcopo moderno, in suo primo ingressu pro maiori conscientiæ suæ quiete, cupiens cognoscere, & examinare, omnes Confessores, & Prędicatores suæ Diœcesis licentias anteriorum suspenderet, & per quam plurimi de nouo se exposuissent, ex quibus multi approbati, & confirmati fuerunt, & alij minus idonei reperti reprobati, multi ex illis qui fuerunt reprobati, & alij qui parum cõfidentes de suis moribus, & litteratura, ad dictum dominum Episcopum accedere recusarunt, ad Vicarium prædictum Montisoni recurrerunt, qui & si ab initio eos repelleret, deinde has de facto licentias audiendi confessiones, & verbum Dei prædicandi, ab eo extorserunt, eum cõminando cum occupatione temporalitatum, si se ab expeditione harum licentiarum abstineret, & sic tam sancta & pia dicti Dñi Episcopi diligentia, omnino frustrata remansit.

19 Tertius casus, qui apud DD. controuertitur est: An Vicarius generalis, sine speciali mandato, possit cognoscere de causis Matrimonialibus: qua in quæstione negatiua sententia probari videtur, *ex cap. accedentibus. de excessi. prælato, & ex sacro Concil. Trident. Sess.24.cap.20.de reformatione.* Vbi habetur hanc cognitionem esse dignitatis Episcopalis, & ad solum Episcopum pertinere, & non ad inferiores, ac ita fuisse declaratum per sacrã Cõcilij Tridentini Cõgregationem, manifestè apparet in vna nullius, seu conuersare 26. Iunij, & 20. Augusti 1607. & in alia Theatina Abbatiæ S. Ioãnis

in ve-

in venere, 11. Septẽbris 1621. quas adducit Augustinus Barbosa, in collectaneis priuilegiorũ, sub verbo causas, & habent in hunc modum. Causas Matrimoniales, & Criminales cognoscere, licentias concionandi concedere, ac Sacerdotes ad confessiones audiendas approbare, Episcoporum tantum est, & nõ aliorum inferiorum. Ergo ad Vicarium generalem absque speciali delegatione, non expectabit cum Episcopo inferior sit.

20 Et corroboratur ex eo, quod causæ Matrimoniales dicuntur graues, & arduæ, cum in eis agatur de statu hominum, vt ex multis docet *Menochius de arbit. iudi. lib. 2. casu 205. nu. 7.* At illa quæ ardua sunt, non transeunt in Vicario generali absque speciali commissione, Federicus de Senis *cons.* 302. quem refert, & sequitur Pica. *cons. 52. n. 98. inter cons. Menochij*, ergo absq; illa speciali facultate, non poterit de causis Matrimonialibus cognoscere.

21 Præterea confirmari potest ex eo, quod causæ Matrimoniales per procuratorem tractari nõ possunt, sine speciali mandato. *Azor in summa de procuratorib. gloss. in cap. qui ad agendum de procuratoribus lib. 6. Canis cons. 20. nu. 1. inter cons. Matrimonialia.* Ergo nec etiam poterit Vicarius generalis, de eis cognoscere absque speciali mãdato, cũ Vicarius generalis procurator Episcopi dicatur, *cap. petitio vbi DD. de procuratoribus. Geminianus in cap. licet n. 12 & ibi Franc. col. 2. vers. & aduerte. de offi. Vicarij, in 6. & hanc partem resoluunt. glos. in dict. cap. accedentibus. verbo dignitatis, & ibi Antonius num. 1. idem Anton. in cap. 1. de consangui. & affini. num. 11. Præpositus num. 5. Berthachinus. tractatu de Episcopo. lib. 4. p. 6. quæst. 20. Rebuff. in praxi benefi. in forma Vicariatus. n. 155. Menoch. cons. 17. num. 6. & cons. 69. num. 55. cum seq. vol. 1. Petrus de Ledesma de Matrimonio. q. 45. art. 1. punct. 3. dub. 4. & Vgolinus de offi. & potestate Episcopi. cap. 4. §. 7. num. 2.*

22 Fateor tamen contrariam affirmatiuam sententiam, videlicet Vicariũ generalem Episcopi Matrimonialium causarum cognitionem habere, ex vi generalis Episcopi commissionis, & absq. speciali facultate, & delegatione, quam resoluunt Antonius de Butr. *num. 2. Alexander num. 5. Abbas num. 4. in cap. vltim. de cognatione spiritua. Couarr. de sponsal. p. 2. cap. 8. §. 12. num. 1. versic. Potest. Cuch. instit. moral. lib. 2. tit. 8. nu. 105. Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 29. n. 18. vers. 2. Azor instit. moral. par. 2. lib. 3. cap 45. q. 2. Narbona de appella. à Vicario ad Episcop. p. 1. num. 201. Aloysius Riccius in praxi part. 4. resolut. 270. & Augustin. Barbosa de offi. & potest. Episcopi par. 3. allegat. 54. nu. 95.* & comprobatur eorum sententia, ex *text. in cap. 1. de frigidis, & maleficiatis, & in dict. cap. vltim. de cognatio. spiritua.*

23 Sed hæc vltima sententia secundum præfatos DD. tantum procedit, & locum habere potest, in Vicario generali principali: qui gerit vices ordinarij in eodem loco, & tribunali: quo consueuit ipse ordinarius, siue Episcopus ius dicere, & non in eo Vicario, qui ad vniuersitatẽ causarum est constitutus, in aliqua parte Diœcesis, nec versatur vbi Episcopus ius dicere cõsueuit

fuerit quantũuis Vicarius generalis(licet minus proprie)appelletur. Quod ex eo comprobatur,quia manifestum est, huiusmodi causæ Matrimoniales, ad solos Ordinarios,siue Episcopos pertinere , & non ad alios inferiores, vt constat ex iuribus,& declarationibus sacræ Congregationis supra adductis,num.15. Ergo earum cognitio solum poterit expectare ad eos iudices, qui sub nomine Ordinariorum , & Episcoporum comprehendi poterunt, vt etiam supra citati DD. num.18.fatentur. Atqui sub nomine Ordinariorum, & Episcoporum,solum veniunt eorumVicarij generales principales: qui gerunt vices Ordinariorum in eodem loco , & Tribunali quo consueuerunt ipsi Eppiscopi,& Ordinarij ius dicere, & nõ hij Vicarij: quia ad vniuersitatẽ causarũ sunt constituti in aliqua parteDiœcesis,& non versantur in eodem loco,& Tribunali,quo Episcopi ius dicere consueuerunt, quantumuis Vicarij generales (licet minus proprie dicantur) quia huiusmodi proprie Officiales foranei,& Iudices delegati,& non Ordinarij,appellantur, vt manifeste constat ex his quæ supra diximus à num.9. vsque ad 11. & ex multis id comprobat Sanchez dicta disputatione 29.num,11,& 12.Ergo huiusmodi Vicarij,qui ad vniuersitatem causarum sunt constituti in cærta Diœcesis parte, extra locum vbi ius dicere cõsueuerunt Episcopi,non poterunt venire appellatione Ordinariorum,& Episcoporum, cum Ordinarij non sint,sed delegati,& per consequens absq; speciali commissione,de causis Matrimonialibus cognoscere non poterunt,vnde cum Vicarius præfatus Montisoni,non versetur in loco vbi ius dicere consueuit Episcopus, videlicet in Ciuitate Ilerdæ,sed potius in dicta Villa Montisoni,& sit constitutus Vicarius ad vniuersalitatem causarum, Ciuilium, & Criminalium dumtaxat,in quadam parte Diœcesis,videlicet pro parte Episcopatus Ilerdæ, quæ existit in Regno Aragonum: consequens est non posse dici Ordinarium,sed delegatum. Nec proprie Vicarium generalem, sed improprie, ac propterea sub appellatione Episcopi,seu Ordinarij,non venire,& ideo ad eius cognitionem non pertinebunt causæ Matrimoniales.

24. Hinc apparet resolutio quarti casus, ex his qui à Doctoribus hac in materia controuertitur,videlicet an generalis VicariusEpiscopi,possit iuxta existente causa ex vi generalis commissionis,& absq; speciali mãdato, dispensare in Matrimonialibus denuntiationibus. Et licet pro vtraq; parte multi sint Doctores,vt est videre apud Thomam Sanchez de Matrimonio.*lib.3 disp.7.n.9. August.Barbos.de of.& potestate Episcop.p.2.alleg.32.n.28. & 29.& dicta allegat.54.num.95* ac *Nicholaum Garcia de benefi.par.5.cap.8.à n.* 50.qui tenaciter defendit,id facere non posse Vicariũ generalem absq; speciali delegatione,ea ductus ratione,quia dictus Vicarius absque speciali delegatione non potest dispensare , vt sentiunt Rebuffus in praxi beneficiali, *tit.in forma Vicariatus num.44.Ioannes Gutierrez Canonicarum quæst.lib.1.c.19. num.15.Sbroz.lib.2.q.35.*post multos alios quos adducit *Barbosa dict.alleg.54 num.121.*

*nu.*121. Ergo nec remittere dictas denuntiationes,cum verè & propriè hoc sit dispensare.

25 Sed quidquid sit de hac re,hoc vnum indubitabile videtur, videlicet dictum Vicarium Montisoni,non posse remittere has denũtiationes. Quia tota ratio in qua fundantur DD. asserentes, Vicarium generalem Episcopi posse remittere has denuntiationes est,quia est Ordinarius, & sub nomine Episcopi,& Ordinarij comprehenditur,vt est videre, *ex Thom. Sanchez vbi supra num.*10.*& Augustin.Barbosa in dict.alleg.*32.*num.*29. vt cæteros omittã, quæ ratio dicto Vicario Montisoni competere non posse,manifestè appareret ex supra dictis,quibus probatum est,non Iudicem ordinarium,sed delegatũ esse,ad ea dumtaxat,quę in dicta bulla facultatuum continentur,ac per consequens,nõ poterit remittere denuntiationes absque speciali commissione, & mandato,vt docet idem Sanchez dicta disp.7.*num.*11. *vers.secundo infertur.*

26 Hinc etiam apparet resolutionem,ad quintum, & vltimum casum inter DD.in hac materia controuersum, videlicet. An Vicarius generalis vi suę generalis cõmissionis,absq; speciali mandato,posit monitiones ad finẽ reuelãdi cõcedere.In quo dubio diuisi sunt etiã DD.alij affirmant,&alij negãt,vt est videre apud Nicol.Garcia de benefi. *p.*5. *cap.*8.*ã n.*91. *& Augustin. Barb.de offi.& potestate Episcop.par.*3.*alleg.*95.*ã num.*3. & pro vtraque parte declarationes sacræ Congregationis Concilij adducuntur, adeò vt dictus Barbosa vbi supra num.8.anceps sit,& ad hanc dubitationem extinguendã dicat,aliam nouã declarationem fore necessariam, quæ inter prædictas falcem mittat.

27 Sed quidquid sit de hac controuersia, quod ad Vicarium generalem principalem qui vnum tribunal facit cum Episcopo. Certum est id procedere non posse in dicto Vicario Montisoni,quia ex sacro Concilio Tridentino sess.25.ca.3. de reformatione manifeste apparet á nemine concedi posse,huiusmodi monitoria præter quam ab ipso Episcopo.Igitur est manifestum nulla ratione concedi posse, nisi ab eo qui sub nomine Ordinarij, & Episcopi,continetur,& comprehendi potest,vt bene deducitur ex Garcia vbi supra num.95.At qui vt passim superius vidimus,dictus Vicarius Montisoni comprehendi non potest,sub nomine Ordinarij,& Episcopi,cũ Ordinariam non habeat iurisdictionem,sed delegatam.Ergo nulla ratione poterit absque speciali delegatione, huiusmodi monitoria concedere.

Secundum dubium principale.

28 IAm ad secundum principale dubium accedentes,videlicet.An ex delegatione, seu constitutione dicti Vicarij generalis in oppido Mõtisoni, iuxta præscriptum memoratarum Bullatarum Apostolicarum,

licarum, cessent, & extincti maneant, alij Officiales, seu Vicarij foranei: qui in diuersis oppidis dicti Aragonum Regni, pro faciliori negatiorum expeditione ab antiquissimo tempore erant constituti. Quod dubium resultare videtur ex illis verbis, contentis in supradictis Bullis Apostolicis facultatum. *Per præsentes committimus, & mandamus, vt in prædicto Oppido de Monçó, & non in alijs dictæ Ecclesiæ locis, in eodem Regno existentibus, Vicarium vnum generalem, vt prædicitur teneant, &c.* Quæ cæteros alios officiales, seu Vicarios foraneos dicti Regni Aragonum excludere videntur.

29 Sed his non obstantibus contrarium puto esse dicendum. Pro cuius comprobatione, duo in facto verissima præmitto. Vnum est, partem Diœcesis Ilerdæ existentem in dicto Aragonum Regno esse latissimam, & plusquam centum, & quadraginta oppidos continentem.

30 Alterum verò est, facultatem seu iurisdictionem prædictorum Officialium, seu Vicariorum foraneorum, esse adeó exiguam, quæ tantum extẽditur ad audiendum, & cognoscendum causas Ciuiles, non excedentes summam quinquaginta solidorum monetæ Iaccen. & ad rationes exigendum á manumissoribus hæredibus defunctorum, de implemento piorum relictorum.

31 Quibus sic præsuppositis. Conclusio sit affirmatiua: nam cũ versemur in Diœcesi multum ampla, & in tam modicis causis, non possunt cogi subditi ad litigandum in dicto Oppido Montisoni, distanti à cæteris Oppidis, vbi supradicti Officiales, seu Vicarij foranei, existere consueuerunt, pro vt manifestè deducitur ex *Ancharr. in cap. non nulli n. 5. de rescriptis in cap. cum T. in prin. vers. secundo nota. de offi. delegat. & ibi Ioannes Andr. num. 5. & Barba. in principio, & in ca. dilectus n. 59. cum seqq. de rescriptis Felin. in cap. vltim. sub n. 2. de iudicijs quos sequutus est Rot. Rom. in vna Placentina. decis. 297. nu. 8. part. 2. diuersorum.*

32 Neque huic resolutioni obstare aliquo modo poterunt verba, supradictarum Bullarum Apostolicarum supra à nobis relatarũ, nu. 25. quæ necessario sunt intelligenda retento eodem Thẽmathe: de quo supra loquũtur, videlicet de Vicario cum ampla potestate ad vniuersitatem causarum Ciuilium, & Criminalium, controuersarum, delegato, qui iuxta præscriptum memoratarum Bullarum, vnus dumtaxat delegandus est, & non plures in Oppidis dictæ Ecclesię Ilerden. subiectis, existentibus in Regno Aragonũ. Non autem id intelligi potest, de alijs Officialibus, qui in diuersis Oppidis dicti Aragonũ Regni, ab antiquissimo tẽpore erant iam constituti: quia vltra quòd si id Pontifex voluisset dixisset. Dubitari non potest, quod præfatæ Bullæ Apostolicæ cõcessæ sint, non solum in fauorem incolarum dicti Oppidi de Monçon, sed etiam omnium incolarum Regni Aragonum, præfatę Diœcesis: vt ex illis verbis prælibatarum Bullarũ apperte colligitur: *Quod Ecclesia Ilerden in Principatu Cathaloniæ existens maiorem redditũum suorum,*

rum,& suæ Diœcesis partem in Aragoniæ Regno possidet, extra quod iuxta leges eiusdem Regni, illius incolæ in alias Prouincias ad litigandum extrahi non possunt, &c. Quæ adaptari non possum solùm, ad incolas dicti Oppidi Montisoni, sed etiam comprehendunt incolas aliorum Oppidorum, dicti Regni præfatæ Diœcesis, & manifestè retorqueretur supradictum priuilegium in odiũ illorum, si ex hac delegatione noui Vicarij in dicto Oppido Montisoni, cessarent cæteri Officiales; nam hac via cogerẽtur extrahi pro his minimis causis à proprio domicilio, & accedere ad litigandum addictum Oppidum Montisoni, forsan cùm maioribus expensis, quam esse principale prætensum, quod quam in graue damnum incolarum dictorũ Oppidorum, & præcipue pauperum, pupillorum, & viduarum, cedere quis non intelliget, hocque esse contra notissimam, & vulgarem regulam iuris, qua cauetur, non deberi in damnum alicuius retorqueri, quod in illius fauorem inductum est. *l. nulla iuris ratio, ff. de legibus, l. quod fauore, C. eodem tit. cap. quod ob gratiam de regul. iuri. lib. 6. explicant Surd. decis. 195. num. 1. Moneta in tractatu de opti. Canonum. cap. 3. nu. 142. Cardin. Mantic. de tacit. & ambig. conuenti lib. 2. tit. 12. n. 27 cum alijs per multis.*

32 Qua propter concludendum esse videtur, dictum Vicarium Montisoni, absque speciali facultate, solum posse cognoscere causas Criminales, & Ciuiles, contentiosas, & non voluntarias, neque expedire ea quæ sunt meræ gratię, aut se intromittere in cognitione causarum Matrimonialium, & beneficialium, & alia facere, quæ solùm competunt Ordinario, seu Episcopo. Neque ex delegatione præfati Vicarij, in dicto Oppido Montisoni, cessare debent cæteri Officiales in alijs Oppidis præfati regni Aragonum, in Diœcesi Ilerden, existentibus, ab antiquo iã constituti, & ita sentio. Saluo semper, &c.

Doct. Don Franciscus Piquer.